

† N E C R O L O G I A

† R. P. Timotheus Power (1841-1933)

(Prov. Hibern.)

Die 13 Novembris 1933, festo S. Stanislai, sui anni patroni, et ipso die anniversario suae professionis, 70 ante annis factae, obiit confrater venerabilis et optime meritus huius Provinciae, R. P. Timotheus Power. Vitam longa ac tam bene et sancte in Congregatione peracta certe nonnulla habet quae in Analectis mentionem mereantur.

Timotheus Power in paroecia Ballybricken, dioecesis Cassiliensis, natus est anno 1841. Puer ipsos Congregationis in Hibernia signiferos et fundatores, sodales Provinciarum Angliae, Belgii, Hollandiae, quorum nomina apud nos in benedictione adhuc sunt, vidit audivitque. Ipse, annos natus 21, ad noviciatum in domo Bishop Eton in Anglia admissus est. Noviciatu rite peracto die 13 Novembris a. 1863 vota in Congregatione nostra nuncupavit. Deo gratias et Mariae, quod eodem ipso die, 70 post annis, Domino redeunte et vocante, fidelis inventus est!

Die 8 Octobris a. 1869 in domo Wittemensi ad sacros ordines promotus et paulo post ad Angliam regressus, per 10 fere annos sacris missionibus totis viribus se dedit. Sed Deus sua ineffabili providentia decreverat ut vita religiosa R. P. Power non in externo verbi ministerio, sed in apostolatu occulto orationis et patientiae magna ex parte esset transigenda. Anno 1879 sectione chirurgica crus abscindi oportuit — crucem pro crure Deo ei reddente — et ab illo tempore usque ad mortem 54 post annis obitum dolorum nunquam omnino expers fuit. Chirurgus per errorem partem fili ferrei in carne viva reliquit, quod quidem causa fuit continui fere doloris. Nihilominus hic miles Christi impiger doloribus corporis et mentis lassitudini nequaquam cessit. Missionibus quidem obeundis fuit impar, sed exercitationibus spiritualibus sive sacerdotum sive religiosorum sive monialium usque ad extremam senectutem nunquam praeesse destitit.

Domi etiam commorans multa fecit pro animabus tum confratrum, tum externorum qui ecclesias nostras frequentabaut. Plures fuit Superior, pri-
mum a. 1880 domus Bishop Eton Rector creatus, deinde domus Clapham
a. 1884. Per hoc triennium Consultor quoque Provincialis fuit. Anno 1887
Praefectus studentium in domo Teignmouth factus, per sex annos alumnos
Provinciae Anglicae-Hibernicae
moderatus est. In studentatu eo
tempore fuit R̄m̄us Pater Rec-
tor Maior, qui per duos annos
R. P. Power Praefectum habuit.
Persaepe in annorum decursu
Sua Paternitas maximam bene-
volentiam suam ac veneratio-
nem erga antiquum Praefectum
testatus est. Inter epistolas gra-
tulatorias quas occasione com-
pleti septuagesimi sui in Cong-
gregatione anni, iam moribundus,
acepit, nulla fuit ei gratior
ea quae gratulationes ac benedic-
tionem R̄m̄i Patris Generalis attulit.

Nova Provincia Hibernica
a. 1898 erecta, R. P. Power ibi
novem per annos munere Con-
sultoris Provincialis fungebatur.
Sex etiam per annos Rector do-
mus studendatus Esker fuit. Do-
mi ut plurimum commorans, apo-
stolatum fecundum in nostris ec-
clesiis exercebat. Ad confessio-
nes audiendas semper paratus, pluries in die ad primum signum campanu-
lae confessionale adibat. Quae quidem alacritas, ut in omnibus est signum
haud mediocris virtutis, ita in illo, corpus tam mancum ac debile habente-
insitum mortificationis et obedientiae spiritum indicabat. Congregationi ma-
ximo amore deditus, observantiae regularis tenacissimus fuit. Si quid contra
eam delictum vel in observantia relaxatum videbat audiebatve, vehementer
dolebat, quin etiam, sed nunquam sine caritate, aperte improbabat. Semper
a Deo expetebat ut Congregatio magis magisque diffunderetur et maiora
pro Dei gloria et animarum salute perficeret.

Erga SS. Sacramentum et augustum Sacrificium Missae peculiarem de-
votionem fovebat. In summa etiam senectute nonaginta et amplius anno-



R. P. Timotheus Power (cum baculo)
et R. P. Patritius Sampson († 1929)
in adamantino professionis iubilao
13 Nov. 1923 (*Analecta III*, 59).

rum quotidie s. Sacrificium magna cum devotione offerebat, paucis tantum ante mortem mensibus exceptis. Vespare post actus communes ad sacellum domesticum se, quamvis aegre, conferebat ibique coram Sanctissimo multas per horas pro peccatoribus et felici apostolicorum laborum successu orabat. Quoties missionarii nostrae Provinciae, miram et inopinatam aliquius peccatoris conversionem cernentes, de venerabili confratre domi coram Sanctissimo orante cogitaverunt! Soli Deo notum est quot et quantas gratias pro Provincia nostra et tota Congregatione eius continua oratio et indeicta patientia obtinuerit.

Appropinquante septuagesimo die anniversario professionis vires eius paulatim deficere videbantur. Cum medicus vocatus mortem non longe abesse diceret, s. Viaticum et extremam unctionem plene sui compos suscepit. Mane, die festo S. Stanislai, mors imminere visa est. Veteranum Alfonsiani Instituti militem sanctus Societatis Iesu tiro ad coronam vocabat! In illa ultima hora saepissime imagines Christi Crucifixi et dulcis eius Matris de Perpetuo Succursu osculabatur. In vita amores eius soli fuerant, moriens fidelis inventus est. Faxit Deus ut et nos exemplum eius sequamur, idem praemium consecuturi! R. I. P.